DE

ANEURYSMATE ARTERIAE POPLITEAE.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITERARIA
FRIDERICA GUILELMA
PRO SUMMIS
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS
RITE OBTINENDIS
DIE XXVI. M. AUGUSTI A. MDCCCXXXI
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENSURUS EST

AUCTOR
H. E. B. SCHINDELMEISSER
REGIOMONTANUS.

OPPONENTIBUS:
H. SIMONSON, MED. ET CHIR. DR.
J. ZIPPER, MED. ET CHIR. DD.
C. NÜTTEN, MED. ET CHIR. DD.

BEROLINI, TYPIS BRÜSCHCKIANIS.

VIRO

PERILLUSTRI ET PRAECLARISSIMO

G. H. L. NICOLOVIO

SCRIPTURAE SACRAE DOCTORI
AUGUSTISSIMO BORUSSORUM REGI

A CONSILIIS INTIMIS, RERUM ECCLESIASTICARUM DIRECTORI IN MINISTERIO CAUSARUM SACRARUM, ACADEMICARUN ET MEDICARUM, AQUILAE RUBRAE SECUNDI ORDINIS FOLIIS QUERNIS ATQUE STELLA ORNATAE EQUITI ETC. ETC.

NEC NON

VIRO

DOCTISSIMO EXPERIENTISSIMO

J. F. DIEFFENBACH

MED. ET. CHIR. DOCTORI, MEDICO APUD BEROLINENSES FELICISSIMO, NOSOCOMII CARITATIS BEROLINENSIS CHIRURGO DIRIGENTI ETC. ETC.

FAUTORIBUS BENEVOLENTISSIMIS

HASCE

STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

OFFERT

AUCTOR.

Auctores,

quorum, hisce conscribendis pagellis, usus sum libris.

Penchienati Mêmoires de l'Academie des sciences de Turin. Vol. IV.

Richter's Wundarzneikunde.

B. Bell's Handbuch der Chirurgie, übersetzt von Hebenstreit.

Murray. Observationes in aneurysma arteriae femoralis.

Scarpa sull' Aneurysma reflessioni ed osservazioni anatomico-chirurgiche.

Kuehn's und Weigel's italienische med.-chirur. Bibliothek. Band IV. Leipzig 1797.

Scarpa. Ueber Pulsadergeschwülste. Aus dem Italienischen von Harless.

Hodgson treatise on the diseases of the arteries and veins comprising the pathology and treatment of Aneurysms and wounded arteries. London 1814.

v. Graefe's Telangiectasien. Leipzig 1808.

Delpech. Beobachtungen und Betrachtungen über die Unterbindung der grossen Arterien. Chirurgische Handbibliothek. Weimar 1818.

Frorieps Notizen im Gebiete der Natur- und Heilkunde Band XVII.

Rust's theoretisch-practisches Handbuch der Chirurgie. Band II. Berlin 1830.

Sectio I.

De vasibus femoris.

Mihi de aneurysmate arteriae popliteae scribenti necessarium visum est, nonnulla, quae ad anatomicam arteriarum in extremitatibus inferioribus decurrentium pertinent conjunctionem praefari, non qui nova proferrem, postquam viri in arte nostra tam celebres atque illustres, Murray, Scarpa, Paletta, aliique, quorum nomina et laudes recensere longius esset, sed qui ea, quae ad propositum meum maxime conferunt, recapitulem atque in memoriam revocem. Pertractandus igitur arteriae cruralis ejusque ramorum decursus, simulatque ex ligamento Poupartii prodiit.

Arteria cruralis relicto arcu crurali primum arteriam pudendam externam superiorem dimittit, superiorem M. M. pectinei et gracilis partem transeuntem, quae, glandulis inguinalibus ramulis instructis, in scroto et monte Veneris cum ramulis Art. epigastricae communicans evanescit. Eandem fere viam Art. pudenda externa inferior habet, quae cum Art. pudenda communi profunda ejusque vasibus penis intimum habet commercium. Deinde

ex ipsa Art. crurali alii rami in M. M. sartorium, cruraeum, Vastumque internum, alii in M. gracilem et semitendinosum migrant. Notatu dignus est connexus Arter., quae in M. vasto interno expanduntur, Art. profundam femoris inter et Ramum communicantem Art. popltieae, sicuti arterias articulares genu. Missis his vasibus in fossam quasi triangularem descendit, in qua maximus ejus ramus, art. profunda, de qua infra accuratius dicam, abit. Priusquam Art. cruralis juxta M. adductorem magnum posteriorem femoris partem petit, magnum dimittit ramum, quem Murray perforantem inferiorem appellat, qui in duas partes divisus et M. adductorem magnum, portionemque minorem M. bicipitis adit, et Art. nutritia ossis femoris dicta, per foraminula nonnulla hoc os invadit. Penetrato deinde M. vasto externo haud procul a genu cum Art. articulari superiori externa et Art. circumflexa externa, Art. profundae femoris ramo, anastomoses init. Jam in fossam popliteam progressa arteria, istius nomine accepto, Art. anastomotica magna Murraei abit, cujus anastomoses praecipue memorabiles sunt cum Art. circumflexa externa, ramo Art. profundae femoris, et Art. articulari superiore interna, quae ad condylum internum femoris pergit M. adductoris magni inter tendinem vastumque internum, ubi, factis nonnulis anastomosibus cum Art. periostii ossis femoris, Art. articulari superiore externa et anastomotica grandi, communi extensorum cruris tendine tectus pergit,

atque postremo condylum ipsum penetrat. Jamjam in duos ramos, superficialem transit et profundum, quorum hic perisostium petit ipsumque condylum, ille vero in interna genu superficie rete vasculosum format, cum ramo profundo, Art. anastomotica grandi, et articularibus alterius genu lateris conjunctus. Nominandae praeterea Art. articularis interna inferior atque externa superior et inferior, ob communionem anastomoticam cum Art. circumflexa externa nec non cum perforantibus. Externa inferior majoris videtur esse momenti, quia arctissime cum Art. articulari superiore interna et Art. recurrenti tibiali, ex tibiali antica, perforato ligamento interosseo, oriente est connexa. Tum Art. poplitea, postquam M. M. popliteo, plantari, soleo, atque gastrocnemiis vasa dedit, in duos ramos divisa, in Art. tibialem anteriorem et posteriorem, pedis plantam petit.

Hucusque Art. femoris profundae subinde mentionem fecimus, alio loco accuratius eum descripturi: tantum abest, ut Arteriam crediderimus cum Scarpa sui generis, ut ramum Art. cruralis maxime ad propositum conferentem ducamus.

Art. profunda femoris ex Art. crurali seu iliaca externa originem in fossa ista supra laudata triangulari ducit, ab initio ad externam a superficie femoris interna tendens, deinde vice prorsus versa descendens. Simulatque Art. cruralem reliquit, ramum cutaneum exteriorem coxae dimittit, qui, M. M. iliaco interno, recto femoris et sartorio

vasibus instructis, nates petit. Ex Art. profunda praeterea Art. circumflexae proveniunt, externa et interna. Art. circumflexa interna ad internam femoris partem tendit, ramulis in M. M. pectineum, gracilem adductoremque longum emissis, deinde capite femoris circumdato sub ligamento transverso acetabulum adit, ibique in membrana synoviali evanescit. Oppositam femoris superficiem Art. circumflexa externa sibi sumit, a M. M. sartorio rectoque tecta, in quibus partim evanescit, partim in vasto externo et glutaeis, partim aggressa acetabulum, anastomosibus gaudet cum Art. circumflexa interna atque obturatoria. Nonnullae hujus rami arteriae versus genu descendunt, conjunctae ibi cum arteriis articularibus Art. popliteae et cum perforantibus Art. cruralis, sicuti cum Arter. perforantibus profundae femoris.

Art. jamjam profunda, postquam his originem dedit arteriis ab externa femoris parte ad internam vergit in interstitium, quod M. vastum internum inter et adductorem longum reperitur, in quo decursu quatuor dimittit perforantes arterias, quarum quarta ipsius tantum Arteriae est continuatio. Quas quidem Arterias, cum propter anastomoses, quas ineunt, magni sint momenti atque post aneurysmatum operationem ad alendum crus plurime valeant, accuratius esse describendas duco.

Art. perforans prima retrorsum transgressa ad interstitium, quod insertionem M. pectinei inter, adductorem brevem vastumque internum est, infra

M. quadratum ad lucem provenit, et postquam hos musculos vasibus condonavit, nec non Art. nutritiam femoris superiorem dimisit, in duos principales dividitur ramos, quorum alter Ram. trochantericus, alter transversalis appellatur.

Ramus trochanteritus in glutaeo maximo discinditur, in cujus carne cum ramulis Art. iliacae posterioris varias init anastomoses, pariter ac cum Art. trochantericis, Art. circumflexa atque Art. pudenda communi. Ramus transversalis praecipue tensori fasciae latae atque vasto externo adscriptus est, ubi conjungitur cum circumflexa externa aliisque arteriis.

Art. perforans secunda praecipue muscularis est, atque eam ob causam nominanda, quod in pluribus hominibus anastomosin init cum ramis Aae. perforantis primae. Majoris momenti est Art. perforans tertia, quia arctissime conjuncta est, non solum cum perforante prima, sed etiam cum circumflexa externa et cum ramo perforante Art. cruralis. Uterque autem ramus et perforans Art. cruralis et perforans tertius non raro haud procul a patella, postquam inter se et circumflexae externae ramos anastomosin fecit, cum Art. crurali et articularibus superioribus conjunctus est.

Haec quidem sunt, quae hucusque Anatomia demonstravit. Restat vero magnus arteriarum numerus, quae arctissime inter se conjunctae nominibus adhuc non gaudent, neque possunt, propter exiguam magnitudinem, ita ut oculis anatomorum

euanescant, ad bonum autem eventum operationis a me describendae, suscepta pedis singularumque ejus partium nutritione, plurimum conferant. Quae quidem arteriae potissimum in musculis femoris crurisque occurrunt et imprimis in periostio. Quanti autem sint aestumandae, inde elucere mihi videtur, quia, his deficientibus, amputatio cruris, ligata Art. crurali, non raro ad defendendam totius pedis mortem, imo ad vitam hominis conservandam requiritur.

Sectio II.

De aneurysmate Art. popliteae.

Diagnosis.

Omnium, quicunque in fossa poplitaea observantur, tumorum vix ullum genus tam saepe et tam frequenter reperitur, atque chirurgi auxilium postulat, quam aneurysma arteriae in illa decurrentis; imo toties occurrit, ut reperto in hac fossa tumore, omnibus aliis eorum speciebus sepositis, primum de aneurysmate cogitare debet medicus. Quomodo autem fiat ut hoc potissimum in loco istae arteriae affectiones inveniantur, hucusque non satis perspicuum prostat. Itaque mirari non possumus, quod varii auctores varias hujus phaenomeni proposuerunt explicationes, alii enim, quorum prin-

ceps Richerand appellendus, singularem genu ejusque articulationis constructionem simul cum textura arteriae popliteae tenui causam esse voluerunt, alii Morgagni et Pelletan e negotiis atque consuetudine, quam vivendi ratione sibi vindicarunt, ut textorum, pistrinariorum, aurigarum, scrinariorum aliorumque deduxerunt, unde habitualis arteriae brevitas oriatur, necesse sit et, pede subito extenso, ruptura sequatur; alii denique, praecipue Boyer, musculis contractis arteriaque compressa sanguinis stagnationem accusandam esse contenderunt. Quarum quidem sententiarum neutra prorsus rejicienda, neutra tamen omnino assumenda. Quaecunque in singulis certis casibus ad procreandum aneurysma valere potest, ita quidem, ut relaxatio inde parietum arteriae nascatur, praesertim cum genu ad situm flexum jam per semet ipsum inclinet.

Aneurysma arteriae popliteae tumorem praebet plus minusve circumscriptum, tensum, elasticum, primum aequalem in decursu mali inaequalem, non dolorificum, ab initio parvum, deinde autem magis magisque increscentem, in quo, digito imposito, pulsatio persentiri potest. Cutis supra tumorem expansa, abinitio colorem non mutat, si autem majorem ille adeptus est ambitum, lividum praebet adspectum; vasa proveniunt in ipso extensa varicosa atque inflammatio oritur. Confirmat praecipue diagnosin id, quod, compresso inter cor et aneurysma vase, arteria crurali infra ligamentum Poupartii, hoc aut statim evanescit aut pedetentim,

ita, ut pulsationem in ipso animadvertere nequeas et imposito infra aneurysma digito, tensior fiat tumor clariorque pulsatio. Attamen hoc, quod postremo proposui signum perpetuum non est, praecipue, si jam altius processerit malum, omnis pulsandi sanguinis facultas abolita est atque sublata. Tum potissimum ex decursu et ex anamnesi cognosci debet morbus.

Restat adhuc, ut de discrimine aneurysma inter atque alios tumores, qui in fossa poplitaea reperiuntur, disseram. Facilius discerni possunt ii tomores, qui solidioris sunt massae, quia elasticitate partim carent, partim, etiamsi ipsi arteriae incumbant, cujus motus in illos transeat, elati et disjuncti ab arteria nullum praebent pulsationis signum; difficilius tamen cognitu sunt ii, qui lymphatico gaudent contento, in quos motus transit arteriae; ad dijudicandam eorum naturam tum praecipue valet, si arteria cruralis comprimitur; tum enim aneurysma citius vel serius evanescit, dum tumoris cystici ambitus non mutatur. At si in tumore pulsatio propter magnitudinem, ad quam provectus est clare persentiri nequit aut prorsus percipi non potest, accuratissima sit medici disquisitio, respiciat praecipue ad decursum morbi et ad causas, unde origininem duxerit tumor.

Decursus et exitus.

Idem est aneurysmatis Art. popliteae, ut in caeteris aneurysmatibus decursus atque exitus. Tumorem, ex aliqua causa accuratius infra describenda atque enumeranda, in fossa poplitaea ortum atque ab initio parvum negligit aegrotus, cum nullos procreet dolores neque eum, quominus exigat negotia, impediat. At in dies crescit tumor, impedimentum fit eundi; nunc dolores oriuntur pungentes prementesque, deinde nunquam desinunt; cruris ambitus ob nutritionem sublatam imminuitur, actiones imbecillae, parva tantum intentione tremit aeger. Simul oedema conspicitur, cum humorum circulatio regressiva deleta aut saltem sit prohibita, varicositates per totam partem oriuntur, livido colore inducitur crus, calor animalis imminuitur atque nervorum ejus cum cerebro commercium perit. Si altius procedit malum, integumenta arteriae inflammantur, nascitur suppuratio, abscessus aperitur subitoque haemorrhagia intrat lethalis, nisi statim ars succurrit. Nonnunquam vero talis ruptura non sequitur; aneurysma tantopere amplificatur, ut, partibus tam solidis quam mollibus consumtis, gangraena oriatur, quae amputationem femoris ex indicatione vitali postulet.

Aetiologia.

Omnes, quae ad aneurysma Art. popliteae procreandum valent causae, in duas classes dividi possunt, quarum altera universales, i. e. eas, quae in quacunque corporis parte efficere possunt malum, complectitur, altera tamen proprias singularesque eas continet, quae in hac tantum arteria, eoque in loco talem organismi anomaliam provocant.

Plerumque disjungi non facile possunt, quia earum connexu atque conjunctione aneurysmata nascuntur.

In quovis aneurysmate anatomia, secundum quotidianam experientiam pathologica, mutatam esse et mixtionem et structuram docet, modo tunicae arteriarum tenues et pellucidae, modo friabiles, modo crassae variaeque consistentiae, nunc cartilaginis instar sint, in alio nunc osseam materiam praebeant: inter singulas tunicas calcarea phosphorica aut lympha coagulabilis similiaque deponuntur. Quod si bene nobiscum pensitemus, verisimile fit, proximam esse quaerendam causam in laesa parietum structura atque mixtione arteriarum, unde harum dilatatio producitur. Inde autem sat clarum fit atque perspicuum, opinionem de varietate aneurismatum non statuendam quam celeberrimus in opere suo supralaudato, Scarpa proposuit, neque tantum, quantum vult, habere veri. Ab initio propter alienam in tunicis materiem depositam adjacentes vasis partes extenduntur, quarum si supra

normam afficitur elasticitas, ita ut dilatari amplius nequeant, rumpuntur, aneurysma igitur producitur secundarium spurium. Etiamsi ad aneurysmata in organismis nonnullis humanis procreandum valere dispositionem nequeat negari, tamen qualis ea sit certo dicere non possumus, experientia hoc tamen docuit, morbos nonnullos in quorum numero prae omnibus aliis syphilis aut forsan accuratius mercurialismus, arthritis, scrophulaeque accusandae, magnam exercere vim. Qui tamen morbi propter naturam cum aut ad exsudationem materiarum rigidarum ut in arthritide et scrophulis, inclinent, aut relaxante et parietum vasorum paralysante, sit venia verbo, vi, ortum dant talibus arteriae degenerationibus atque depravationibus. Negotia autem nonnulla facile propter necessitatem genu flectendi in quo totius corporis moles congesta jacet, multum valent ad ortum aneurysmatis in fossa poplitaea. Maxime propensi ad ea cerdones quidam sunt, aurigae, scrinarii, victores, tornatores, tignarii, fabri, sartores sutoresque, coriarii, textores, pannarii, politores, opifices horologiorum, saltatores, equites et qui similibus operam navant negotiis.

Attamen, cum in tanto hominum numero qui ea negotia exercent, tam pauci reperiantur et inter centum vix duos videamus hoc malo affectos, haud absona, neque a veritate abhorrere videtur opinio, necessarium esse connexum et conventum certarum ad originem aneurysmatum efficiendam rerum; cujusmodi est casus, quem Wilson narrat,

qui aneurysma art. popliteae curavit, quod magnitudinem capitis humani prae se tulit, quocum simul in altero pede nonnulla arteriae cruralis aneurysmata erant conjuncta.

Haec quidem sufficiant de causis praedisponentibus, restat tantum, ut nonnulla de iis subjungam, quae dicuntur occasionales. Huc potissimum trahendae pseudoorganisationes, nimiae pedum intentiones, laesaque parietum continuitas.

1. Pseudoorganisationes.

Non raro accidit, ut in fossa poplitea, sicuti in aliis corporis partibus oriantur parasiti, lipomata, hygromata, ateromata similiaque, qui in dies increscentes, tantopere arteriae volumen angustant et minuunt, ut eam ob causam paululum modo sanguinis in crus transire queat, stagnatio oriatur, extendantur sanguine coagulato vasa, demum tunicae supra normam offensae rumpantur. Quae tamen causa, quamquam rarior procreat aneurysmata, in nonnullis casibus observata est. Pariter etiam explicari posse credo, quomodo apud opifices, quos supra nominavi, fiat, ut tam frequenter hoc malo afficiantur. Inflexum enim genu lumen arteriarum aliquo modo claudit, sanguinis circulatio impeditur, stagnatio oritur, lympha concrescit extenditur supra vas, atque hoc modo aneurysma producitur.

2. Pedum intentiones nimiae.

Tali modo praecipua orta videmus aneurysmata apud saltatores, atque omnes eos homines

qui pedibus mercedem conducunt, cursores etc. Arteria enim, quae genu inflexo contrahitur, subitaneam extensionem ejus sequi non potest, rumpuntur tunicae internae extravasatum sanguinis oritur, qui in dies augetur, tumoremque aneurysmaticum conformat. Reperimus etiam eandem habere originem aneurysma apud eos, qui plerumque pede inflexo sedentes, subito nimiam faciunt extensionem pedis.

3. Tertia denique causa in laesa parietum continuitate ponenda. Quae quidem laesio partim externa esse potest, partim interna, ita ut altera ictu, vulnere etc. oriatur, altera ex inflammatione, subseqnente suppuratione nascatur, quam vero ultimo loco positam causam Hodgson in opere suo ut multo frequentissimam ad cujusvis aneurysmatis originem atque necessariam appellat causam. Oriuntur denique aneurysmata arteriae popliteae etiam ex suppuratione et gangraena adjacentium partium, praecipue telae cellulosae, quae in tanta copia in fossa poplitaea circumdat arteriam.

Prognosis.

Ad prognosin statuendam multum interest, utrum aneurysma sibi ipsi committitur, an artis auxilium aegrotus impetrat. In illo mala semper erit prognosis, saltem valde dubia; nam aneurysmatum numerus, a natura ipsa sanatorum, cujus exemplum Froriep in notitiis profert, minimus est, atque de restitutione aneurysmatis arteriae poplitaae nullum, quantum equidem scio, prostat exemplum;

pejor etiam fit prognosis, cum semper rupturae sacci aneurysmatici periculum immineat, qui nunc maximam adipisci potest extensionem, nunc vix ad ovi magnitudinem provectus rumpitur, atque haemorrhagiam procreat, quae citissime intra minimum temporis spatium necat hominem. At etiamsi haec omnia non observantur atque integer maneat tumor, propter magnitudinem suam in partes adjacentes sensim sensimque tam infeste agit, ut inflammationem destructionemque earum gangraenosam imo sphacelosam excitet, unde non raro totius cruris amputatio postuletur, ut vita tantum hominis servetur.

In altero vero casu, si artis auxilium impetratur, multum potest praestare atque egregios jam protulit effectus. Caveat tamen medicus, ne nimis promittat, cum hic et illic, quamquam rarius occurrerunt casus, arteria ligatura circumdata, nihilominus amputandus esset pes, quod ante certo scire non potuit. Cujus mali eventum praecipue ea ex causa deduci oportet, quia in his hominibus arteriae istae anonymae, in crure disjectae quae crurali magna arteria ligata, totius artus suscipiunt nutritionem, deficiunt. Plerumque non titum crus, sed in trium vel quatuor pollicum longitudinem supra malleolos moritur. Sunt quidem hi casus rariores, ut jam supra dixi, ita ut inter decem vel quatuordecim aneurysmata vix unum reperitur, cujus tam infaustus sese ostendit eventus post operationem.

Valde praeterea turbatur prognosis, si plura in uno homine occurrunt aneurysmata; neque melior redditur, si degeneratio aneurysmatica jam longum duraverit tempus, ita ut partes et molles et solidae in propinque jacentes destructae atque consumtae appareant; tum ligaturae praeferenda ad vitam servandam amputatio.

Cura.

Mirari non possumus, sanationem aneurysmatis arteriae popliteae, dum anatomiae studium tam parum exculta fuit, rariorem fuisse, eventusque tam raro medicorum exspectationi respondisse. Hac enim non satis perspecta, aciurgia non tanta audere potuit, quanta nunc suscipit. Itaque antequam Hunter arteriam cruralem ligatura circumdedit, ea quae ad sanandum aneurysma popliteeum ars fecit, cum subsidia naturae ejusque vires medicis plane incomperta essent, pauca atque levia; terrebant amplitudo arteriae situsque profundus, symptomata morbi gravia a majori contra eum conatu arcebant chirurgos. Videmus igitur ante hoc tempus Valsalvae rationem aneurysmata curandi, maxime commendatam, qua, cibo et alimentis sensim sensimque detractis, vita hominis ad minimum reducitur, methodum, quae in robustis tantum adhiberi potest, non in debilibus aut aetate provectis, cachecticisque hominibus; reperimus methodum compressivam tam altis laudibus celebratam atque praedicatam, perspicuum denique est, cur celeberrimi

praecedentium saeculorum medici, amputationem contra aneurysmata arteriae popliteae adhibere mallent, quam ullam aliam methodum.

Anatomia atque cum hac simul physiologia et akiurgia ex tenebris ad lucem nostri saeculi progressa, quanta possit porrigere natura auxilia, docuit; primum ligatura circumdata est arteria brachialis, deinde etiam femoralis, iliaca interna, imo aorta ipsa a magno Anglo, cujus immortalia semper de akiurgia manebunt merita.

Ad perficiendam bono eventu operationem magnum interest, quemnam eligas locum, ubi ligatura vis circumdare vas. A variis chirurgis varia proposita sunt consilia. I. Hunter, incisione tres pollices longa infra mediam femoris partem secundum arteriae decursum facta, eo in loco arteriam cruralem ligavit, ubi musculi adductoris magni perforat tendinem. Sabatier et Roux mox in duas partes femur dividunt in superiorem et inferiorem. Si in inferiore parte arteriam ligare volunt externo M. sartorii margine incidunt, si in superiore internum ejusdem musculi marginem eligunt, ipsumque, ubi arteriam obtegit, perscindi suadent.

Attamen pari jure rejiciendum hoc propositum ac Hutchinsonii consilium, ex quo semper latus externum Sartorii eligendum sit, quia venae saphenae laesionem atque vasorum lymphaticorum periculosam ducit.

Melius atque accuratius C. Bell duas lineas duci suadet; alteram ex medio spatio inter spinam anteriorem superiorem ossis Ilium et symphysin ossium pubis ad internum latus patellae, alteram a spina anteriore superiore ossis Ilium ad condylum femoris internum, jamque incidendum, ubi lineae istae decussantur, ita ut media incisionis pars ibidem sit.

Illustrissimus Rust, praeceptor summe venerandus, secundum Scarpae sententiam in tres partes aequales femur a ligamento Poupartii inde usque ad genu dividi suadet atque incisionem ita perfici, ut media ejus pars in lineam cadat, quae primam et secundam femoris divisi partem sejungit. Nam tum arteria cruralis haud procul ab eo loco ligatura cingitur, ex quo arteria profunda originem ducit, quod ad bonum eventum maxime valere videtur, quia sanguinis influxus atque impetus magis ad arteriam profundam fertur quam ad cruralem, facilius igitur ea vasa, quae nunc totius pedis susceperunt nutritionem, extendi possunt. Quod quo celerius fit, eo celerius et melius alitur totus pes.

Cutis incisione deinde trium pollicum longitudinis facta, in eadem directione fascia lata dissecatur aut sola manu aut in specillo sulcato. Jam in vulnere hamulis obtusis distracto, haud procul ab interno M. sartorii margine invenies arteriam pulsantem. Arteria denique, tela cellulosa, vena atque extrorsum decurrentibus nervis ab ea sejunctis, ligatura circumdatur. Vulnus deinde em-

platro achaesivo, quantum fieri peest, contractum, secundum vitalitatem curatur.

Historia morbi.

Friedericus Schauer, scrinarius, duodetriginta annos natus, optima semper sese gavisum esse valetudine dicit. Tredecim circiter dies, antequam in nosocomio caritatis recipiebatur in articulatione genu tumorem animadvertit dolorificum, normalis temperaturae, in quo pulsationem cum cordis ictu synchronicam persentire potuit. Attamen secundum ea, quae ipse aegrotus profert, tumor iste jam ante quatuordecim hebdomades erat ortus, ab initio parvns, sensim sensimque autem ad magnitudinem increvit, quam nunc habet, ita ut aegrotus ipse, manu non imposita, tumoris pulsationem animadvertere posset. Fortasse etiam artis auxilium nondum implorasset, nisi interdum dolorificas haberet sensationes, atque in flectendo pede magnum praeberet impedimentum tumor. Hac potissimum causa est permotus, ut die XII. m. Juli a. c. in nosocomio Caritatis auxilium imploraret medicorem, qui a malo eum liberarent.

Causas expostulatus, unde originem traxerit tumor, nihil afferre potuit aegrotus, quare in exercendo tantum negotio videtur requirendus ortus mali, cum in ejusmodi opificibus, totius corporis moles in pede flexo dextro congesta esse atque in eo quiescere soleat.

In fossa poplitea tumorem ovi gallinacei magnitudinis, paululum planum, normalis temperaturae vidimus, cujus tegumenta externa ejusdem essent coloris, ut proximae partes. Manu ei imposita pulsationis ictus sentiri potuit, atque tumor ipsius manus silientem exhibuit motum. Arteria crurali infra ligamentum Poupartii compressa, pulsatio evanuit, tumor autem ipse imminuebatur. Omnibus his symptomatibus consociatis, morbum esse aneurysma verum arteriae popliteae, quod operatione solum sanari possit, perspicuum erat. Illa vero die XIII. Julii a viro celeberrimo Dr. Dieffenbach summa cum dexteritate instituta est eum in modum, quem supra demonstravi. Nihil infausti accessit, sauguinis minima perdita erat copia, optimeqne statim post operationem sese habuit aeger. Sub vesperam, febricula lenissima tamen intravit, quam ob causam propinatum:

Rp. **Saturat. kali carbon.**
Aq. cerasr. aa Uncias iij.
Pulp. tamarind.
Syr. communis aa Unciam. j.

M. D. S. Omni hora cochlear majus summendnm. Diebus jamjam sequentibus, cum calor minui, attactusque sensus evanescere coepisset, saepius per diem frictiones pannis factae atque ad infringendum praescriptum:

Rp. Spir. saponat.
- camphorat. aa Uncias iij.

M. D.

Vulnus ipsum simplicissimo modo tratatum; margines ejus, quantum fieri potuit emplastro adhaesivo approximati, tum epithemata frigida per viginti quatuor horas facta, deinde autem linteo carpto obtectum, ut pus, quod gignebatur, ibi excipi possit. Interjectis dum nonnullis diebus temperatura pedis rediit normalis tactusque sensus; aegrotus praeterea optima semper gaudebat valetudine. Die tantum XXVI. Julii propter obstructiones alvi datum est:

Rp. Electuarii lenitiv Unciam i.
Cremoris tartari Drchm. ij.

M. D. S. Per diem consumendum. Jam vero tumor in dies decrevit, postquam pulsatio, ligatura applicata, statim evanuit; vulnus deinde, in primis m. Augusti diebus cicatrisatum, ita ut aeger propter debilitatem tantum, quae in pede adhuc erat, in nosocomio maneret.

Vitae curriculum.

Eduardus ego, Henricus Balthasar Schindelmeisser, anno hujus seculi nono Vindobonae natus a patre optimo, quem praematura morte mihi ereptum adhuc lugeo, et a matre carissima, e gente Hartog, christianae religioni secundum Lutheri formulas addictus sum. Anno aetatis primo Regiomontium Borussorum, parentum dilectissimorum patriam cum iis petii. Primis jam litterarum elementis privatim domi imbutus anno aetatis septimo gymnasium Fridericianum, quod directore Cel. Gotthold florebat, adii ibique per octo annos virorum clarissimorum atque doctissimorum, Lentz, Jacob, Ebert, Raettig, institutione usus sum. Hinc a. M. DCCCXXIII Berolinum me contuli, ubi in gymnasio, a Joachime Marchiae electore condito, quod directoribus Snethlage et Meinecke floret, virorum clarissimorum atque celeberrimorum Wolff, de Marée, Zumpt, August, per quatuor annos lectiones frequentavi. Literis, qui ad studia academica viam muniunt,

peractis, die VII Maii a. M. DCCCXXVII. in numerum civium universitatis literariae Berolinensis a Rectore t. t. magnif. Lichtenstein receptus, albo medico a decano t. t. spectatissimo Rudolphi inscriptus sum. Semestre tamen praeterlapso civibus Seminarii regii medico-chirurgici Friderico-Guilelmiani adscriptus, utriusque medicinae studio per quadriennium me tradidi atque his clarissimorum virorum praelectionibus interfui:

Cel. Wolff de hodegetice, logice ac psychologia; Ill. Link de historia naturali, botanice et toxicologia; Ill. Lichtenstein de zoologia; Ill. Hermbstaedt et Cel. Turte de physice, chemia et pharmacia; Ill. Rudolphi de encyclopaedia et methodologia medica, de anatomia corporis humani universa, de anatomia organorum sensuum et foetus humani, de physiologia et de entozois; Ill. Knape de osteologia, syndesmologia, splanchnologia; in arte cadavera rite dissecandi Ill. Knape et Ill. Rudolphi duces mihi erant; Cel. Hecker de pathologia et therapia generali nec non de semiotice; Ill. Horn de pathologia et therapia speciali, de morbis syphiliticis et de morbis mentis; Cel. Casper de arte formulas medicas concinnandi, cujus ab exercitationibus pharmaceuticis quoque non abfui; Ill. Osann de materia medica et de fontibus medicatis; Ill. Kluge de arte obstetricia, eaque rite fascias applicandi, de chirurgia generali et de morbis ossium primitus mechanicis; Ill. Rust de chirurgia universa; Ill. Kluge de akiurgia. — Celsi de medicina libros Cel. Hecker mihi interpretatus est. — Exercitationibus clinicis interfui, medicis,

chirurgicis et ophthalmiatricis nec non obstetriciis et syphiliticis Ill. virorum Bartels, Wolff, de Graefe, Rust, Jüngken et Kluge.

Quos omnes praeceptores clarissimos et doctissimos pio gratoque animo semper venerabor.

Jam tentaminibus tam philosophico quam medico et examine rigoroso, coram Gratioso Medicorum ordine rite superatis, spero fore, ut dissertatione thesibusque defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

Theses defendendae.

I.

Nulla inter pulsationem contractio et dilatatio.

II.

Ligatura vasorum torsioni omnino praeferenda.

III.

Nullum capitis vulnus trepanationem postulat.

IV.

Lien corporis humani pars essentialis est.

V.

Aneurysma verum exsistit.